

## SANCTI NICETÆ

EPISCOPI AQUILEIENSIS

## DE SPIRITUS SANCTIS POTENTIA.

1. Sequitur, ut quid de tertia persona, id est Spiritus sancti, sentiam, pro captu mentis exponam: siquidem de hoc vel maxime<sup>b</sup> dubitare multos intelligo. Et licet temerarium sit de hoc disputare qui Patri et Filio in confessione sociatur, secundum Domini traditionem et nostram in baptismo confessionem, tamen quia multi diversa sentiunt, et ratio a nobis inquiritur, necessario reddenda est; nec aliunde reddenda, nisi ex divinarum fontibus Scripturarum. Certus autem sum; præoccupatas aures et sensus alia opinione gravatos, difficile posse placari: pernicioosa est enim præventio. Nam hoc in natura humana est, ut si de aliquo viro bono male nobis fuerit susurratum, et prævenit cognitionem veri nuntius mendax, difficile et laboriose susceptam deponamus opinionem, etiamsi idoneis assertoribus doceamur. Quod nunc multis suspicor eventurum, qui prava doctorum interpretatione anticipati, Spiritum sanctum creaturam crediderunt, et tamquam ministrum despexerunt. Ad propositum igitur redeamus.

2. In Nicæno tractatu positum est secundum symboli formam, *Credimus et Spiritum sanctum*. Quod utique sufficiebat fidelibus, quia in illo conventu de Filio quæstio fuerat, non de Spiritu sancto. Atque utinam ut fuerat traditum, cum Patre et Filio Spiritum sanctum simpliciter credidissent illi qui postmodum quæstionem de Spiritu induxerunt! ut puta, Macedoniani vel eorum in hac curiositate participes. Dum enim quærent et isti, qualis et Spiritus sanctus? unde est? quantus est? natus est? an factus est? sic iterum sciderunt populum, et vere, secundum Apostoli dictum (I *Tim.* 1, 4), interminabilem quæstionem Ecclesiis induxerunt. Nonne oportuerat quem semel sanctum et<sup>c</sup> natum sanctum crediderant: eum cum Patre magis et Filio honorificarent, quam creaturis sociarent? Sed adhuc inducunt quæstiones, et tortuosis interrogationibus simplices quosque fide spoliare contendunt. Nulli autem dibium puto esse, quia mala interrogatio eum qui interrogatur, nisi

<sup>a</sup> Victorinus, in edito a me superioribus annis commentario epistolæ ad Galatas cap. 17, 6 (et adv. Arian. III, 17) personas SS. Trinitatis, vocat *potentias*. Ergo Nicetas sic est in hoc titulo intelligendus.

<sup>b</sup> Sic loquitur etiam Gregorius Nazianzenus circa finem laudationis S. Athanasii. Porro veterum errorum adversus Spiritum sanctum historiam, ducto initio a Sadducæis, habemus apud Petavium de Trin. lib. 1, 14. Legatur idem auctor etiam lib. II, 13; III, 7. Ex Patribus ecclesiasticis, qui Spiritus sancti divinitatem nominatim defenderunt, supersunt hi præcipui, Didymus, S. Basilus, S. Ambrosius, S. Athana-

A cautus fuerit, nescium præcipitat in blasphemiam. Et inde est quod præmonet Paulus: *Videte ne quis vos spoliat per philosophiam et inanem deceptionem* (*Coloss.* II, 8). Interrogant enim rebelles Spiritus sancti: natus est Spiritus sanctus, an innatus? Ecce laquei duo dextra lævaque profensi: in quam enim partem volueris pedem responsionis extendere, capieris. Si dixeris, natus est; dicet et jam non esse unigenitum Filium Dei, eo quod sit et alter natus. Si dixeris non est natus; dicet tibi, ergo et alter erit Pater ingenuus: et jam non est unus Deus Pater, ex quo omnia. Potsquam vero utrimque viam responsionis obstruxerit, jam te quasi recto cursu deducit in foveam ut dicat: Si ergo neque natus est de Patre Spiritus, neque ingenuus, superest ut creatura dicatur.

3. Quid faciet inter has clausulas fides Ecclesiæ? acquiescat tortuosæ philosophiæ, et contra omnium opinionem scripturarum tam veteris quam novi Testamenti<sup>d</sup> credat esse creatum Spiritum Dei sanctum, quem nusquam creaturam legere potuit? Absit. Melius plane faciet, si spretis hujusmodi humanis conclusionibus et vinculis interrogationum, ad Domini sui se verba convertat. Ipse enim in Evangelio dicit unde sit Spiritus sanctus, ipse finem statuit quæstioni qui finem non habet. Dicit ergo ad apostolos: *Mittam vobis a Patre Paraclitum Spiritum veritatis* (*Joan.* XV, 26). Sed unde sit? nescitis. Si vis scire, audi ipsum dicentem: *Hic de Patre procedit*. Quid nunc oportet, fratres? Christum audire, an homines? Christus neque factum dixit Spiritum sanctum, sed hoc solum quia de Patre procedit<sup>e</sup>. Contrarii dicunt, quia factus est, et creatus. Puto melius esset ista credere, ut Christus Dominus revelavit, quam ut humana præsumptio concinnavit. Si autem interrogemus eos unde possint probare Spiritum sanctum<sup>f</sup> factum; cum non habeant de Scripturis certum evidens testimonium, & assumant illud quod dictum est in Evangelio: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Dicunt ergo: Si omnia per ipsum facta sunt, et Spiritus sanctus factus inter omnia creden-

sus Theodoretus, S. Cyrillus Alex., Paschasius Romanæ Ecclesiæ diaconus. His nunc accedit Nicetas Aquileiensis. Nuper vero a me editus est in hoc volumine Hieronymi Donati de hoc argumento tractatus amplissimus.

<sup>e</sup> Natum dicebant hæretici, quorum sententiam aut verba nunc refert Nicetas.

<sup>d</sup> Cod., *credit*.

<sup>e</sup> Repetitur in cod., *quid nunc oportet fratres*; tum subscripta linea expungitur.

<sup>f</sup> In cod. additur *dominum*, tum expungitur.

<sup>g</sup> Malim assumunt.

us est. Hæc non est apta probatio, sed potius scrupulosa collectio. Quæro igitur; os Joannis, qui hæc dicebat, in quo Spiritu loquebatur? nonne in Spiritu sancto? si ergo in Spiritu loquebatur, ipse utique Spiritus loquebatur. De his autem dicebat, quia per ipsum facta sunt omnia quæ utique in multitudine et ordine creaturarum sunt constituta; non a de semet ipso dicebat Spiritus sanctus, ut ipse quoque inter cæteras creaturas factus ex nihilo crederetur.

4. Testis autem est hujus rei beatus apostolus Paulus, qui nominatim illa, quæ per Christum facta sunt, exsequitur. *In ipso*, inquit, *condita sunt omnia quæ in cælis et quæ in terra; visibilia et invisibilia; sive sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt* (Coloss. 1, 26). Numquid inter omnia cælestia et terrestria etiam Spiritum sanctum nominavit? Et utique principaliter nominasset, si eum creatum vel factum, sicut cætera, cognovisset. Si autem tam dure vis intelligere illud quod dictum est, *omnia per ipsum facta sunt*,<sup>d</sup> ut non excipias Spiritum sanctum; quæro quid sentias de eo, quod dicit propheta David ad Deum Dominum, *omnia serviunt tibi* (Ps. cxviii, 91); numquid Spiritum sanctum inter omnia servare dicis, aut servum appellaris, qui utique non est servus, sed Dominus liberans a servitute creaturam? Quod autem sit Dominus Spiritus sanctus, ad Thessalonicenses scribens Paulus sic dicit: *Dominus dirigat corda vestra in dilectione Domini et tolerantia Christi* (II Thess. 1, 5). Spiritum sine dubio Dominum dixit, de quo et ipse Salvator ad apostolos dixerat, *quia ipse vos diriget in omnem veritatem* (Joan. xvi, 13). Adhuc evidentius docet Paulus dicens; *Dominus est Spiritus; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas* (II Cor. 13, 17). Et ad Romanos: *Non, inquit, accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis* (Rom. viii, 15). Si Spiritus adoptionis est, et facit homines filios Dei, quomodo ipse in servili conditione ponitur, cum servus non possit legitime liberare? *Quoniam, inquit, estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra declamantem: Abba, Pater. Si autem Filius, et hæres per Deum; ergo jam non est servus, sed Filius?* (Gal. 1, 6). Si enim Christus liberum facit et Filium et proprii nominis divinitatis suæ heredem, impius ero si eum servum dixerem qui me liberum facit. Libertas autem Spiritus in hoc etiam manifestatur, quod dicit Apostolus: *Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (I Cor. xii, 11). Ubi voluntaria distributio prædicatur, non

A potest videri conditio servitutis. In creatura enim servitus intelligenda est; in e Trinitate vero dominatio et libertas. Ergo et illud quod dictum est in psalmo *omnia serviunt tibi* ad creaturas pertinet et non ad Spiritum sanctum, hoc quoque dictum, *omnia per ipsum facta sunt*<sup>h</sup>; non Spiritum sanctum inter omnia concludit; quia nec ex aliqua materia aut ex nihilo factus legitur, qui i de Patre procedit.

5. Sufficit itaque fidelibus hoc scire quia Filius quidem genitus est, Spiritus autem de Patre procedens est: et ipsis utamur verbis quibus uti divina Scriptura nos voluit. Qui autem diligit vitam, et vitam novit auctorem, et triam nominum socio honore suscepit in baptismi sacramento, nec jam illic terminum querit, ubi certum erat non fuisse principium, in quo credidit. Credimus ergo Spiritum sanctum Paracletum de Patre procedere: esse autem non Filium, neque Filium Filii, quod solent stulte conquirere; sed Spiritum veritatis, cuius processio aut qualis est quanta sit, nulli conceditur scire. Nam de incomprehensibilitate ipsius Spiritus Dominus quoque in Evangelio dixit: *Quia Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat aut quo vadet* (Joan. iii, 8). Hanc Spiritum novimus in persona esse propria et vere; fontem sanctificationis, lumen animarum, divisorem gratiarum. Hic Spiritus sanctificat, non sanctificatur; illuminat, non illuminatur: nec ulla creatura sine hoc Spiritu aut ad eternitatem pervenire, aut vere sancta poterit nominari. Audeo dicere; templum ipsum Domini, id est corpus quod accepit ex Virgine, certe ipso Spiritu instructum est. Et dixit Gabriel angelus ad Mariam: *Spiritus sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te; idcirco quod nascetur ex te, de Spiritu sancto est* (Luc. 1, 35). Ecce ipsum templum, in quo verbum Domini habitavit, invenimus ab Spiritu sanctificatum. Et licet dicat ipse Dominus de se, *Quem Pater sanctificavit et misit in hunc mundum* (Joan. x, 36); et iterum, *Potest enim Filius Dei et suum corpus et omnia sanctificare* (Joan. xvii, 19); tamen ut virtutem et proprietatem sancti Spiritus sæculo manifestaret, tempore baptismatis in specie columbæ ipse in suum corpus recepit Spiritum sanctum, ut vere secundum Apostoli dictum omnis in eo habitaret plenitudo divinitatis corporaliter: de qua plenitudine postmodum accipiunt apostoli gratiam pro gratia, ipso inspirante Domino in faciem apostolorum, et dicente: *Accipite Spiritum sanctum; si cujus peccata dimiseritis, dimissæ erunt; si cujus tenueritis, tenebuntur* (Joan. xi, 22).

ordo horum commatum.

8 Ita cod. Num pro divinitate?

<sup>h</sup> Legendus inter alios Photius a me editus Amphilocho 1, circa fin., ubi ab utraque evangelico Joannis textu hæreticos refutat.

<sup>i</sup> Sic de Patre simpliciter, non addite Filioque, scribit Nicetas noster etiam in Symboli Expositione. Et quidem alii sæpe Patre sic locuti securesunt ante Braidam in comm. ad prædictum Nicetæ opusculum p. 270.

<sup>j</sup> Cod., stulta licet etiam scribere stultis.

<sup>a</sup> Deest de in cod.

<sup>b</sup> Ita sedes, non throni, etiam Victorinus adv. Arium 1, 24. Sed. cap. 36, throni, quæ sine dubio varietas amanuensium est.

<sup>c</sup> Victorinus, constituta. Variabant enim exemplaria etiam Italica veteris. Victorinus ipse cap. 36, creata. Quæ sunt librarium arbitria.

<sup>d</sup> Deest ut in cod.

<sup>e</sup> In cod, scribitur tantum, D. Nam ea littera, explicanda esset Deum, an potius mendosa credenda, ambigamus.

<sup>f</sup> In vulgata Paulini textus editio invertebat est

Et cum scriptum sit: *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus* (Luc. 7, 21): ecce apostoli in Christi potestate peccata dimittere prohibentur. Cognita est itaque quanta sit sanctificatio Spiritus, ubi Dominico ipsi corpori accommodata monstratur: cognita est et potestas Spiritus, cum peccata dimittit.

6. Veniamus ergo ad ceteras ejus virtutes et opera, ut quid et quantum sit Spiritus sanctus possit agnosci. Sicut enim Pater et Filius nisi per opera agnoscentur, ut ipse Dominus ait: *vel operibus meis credite* (Joan. 7, 38); ita et Spiritus sanctus nisi per operum insignia, quid sit non potest plenius sciri. Nemo itaque anxiet cum de Spiritu sancti virtute capitula profertur; nemo aures claudat cum divina verba recitantur; plus debent credere ecclesie testimonia, quam terrena signa. Quid ergo est, quod volumus? ad signa Dominice sine dubio traditionem. Si enim in nomine Patris et Filii non sine Spiritu sancto renascerimur, non sine Spiritu sancto sanctificamur, atque ad eternitatem proficiscimur, cupimus ostendere quia non solum in baptismo, sed etiam in aliis omnibus cum Patre et Filio Spiritus sanctus operatus est absemper operetur.

7. Quamquam sufficeret hoc verbum, quod in baptisimo sacramento cooperatus invenitur; quia ex hoc et alia intelliguntur non sine Spiritu esse creatura. Quale est revera renovatio quidem et reparatio hominis cum Spiritu fiat, figuratio autem hominis et creatio, sine Spiritu esse credatur? An dubium est alicui, plus esse baptismi sacramentum, quam ipsa exordia creature? quis in baptismo eternitas percipitur, in exordio autem non sensit ab Adam? Aut dicitur ergo David de creatione prophetantem: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritus arietis omnis virtus eorum* (Ps. xxxiii, 6). Verbum hoc utique Filius intelligendus est, secundum Joannem presoniam quem *omnia facta sunt*. Spiritus autem orien non alius est, nisi iste qui creditur sanctus. Habes utique in uno vernicula Dominum, et verbum Domini, et Spiritum sanctum Trinitatis adimpleturum mysterium. Quod si verbum hoc, per quod caeli firmati sunt, alicui imprudenter jussionem interpretari voluerit, Spiritum aequae aera solubilem dixerit, paulatim in Judaismum cadat necesse est: quia nec Photinus nec Judaei per verbum substantivum et Spiritum concedunt esse aliquid procreatum.

8. Sed dices: De verbo quidem manifestum est quod creaverit; quid de Spiritu? Accipe aliud testimonium justissimi illius et antiquissimi Job: *Spiritus, inquit, divinus qui fecit me* (Job. xxxiii, 4). Et David psallens dicit ad Deum: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae* (Ps. ciii, 30). Si

creatio et renovatio per Spiritum erit, sine dubio et principium creationis sine Spiritu non fuit. Sed solent hic, qui veritati resistunt, arguta Spiritus vocabulum et personam ad Filium convertere, sicut ubi creator Spiritus invenitur; quia et Filius Spiritus est, sicut et Pater Spiritus. Quod utique non est credendum pravae argumentationi, vel ex hoc ipso quia David et verbum Domini dixit quod est Filius; et Spiritum nihilominus praedixit, qui est sanctus: verbum quidem firmans caelos, Spiritum autem omnes virtutes earum, hoc est ornatum. Aut credant ergo qui haec legunt, aut ei nolunt credere, quid et legunt? Ne quis autem putet hanc credulitatem ad Dei Patris contumeliam pertinere, cum potius ad gloriam expectat, si ejus verbum cuius ipse Pater, aut ejus Spiritus, cuius ipse auctor est, creasse omnia referatur: ipse enim creat omnia, cum verbum ejus creant, et Spiritus.

9. Post creationem igitur ostendamus quia vivificat Trinitas. Et quidem de persona refert Apollolus: *Testor coram Deo qui vivificat omnia* (1 Tim. v, 21 v. 13). Vitam vero dat Christus: *Quia, inquit, vitam meam audivit; et ego dabo eis vitam aeternam* (Joan. 1, 27). Vivificamus vero per Spiritum, ipse Dominus dicens: *Spiritus est qui vivificat* (Joan. vi, 64). Similiter et Paulus ad Romanos: *Qui suscitavit Christum a mortuis, et vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (Rom. viii, 11). Ecce una vivificatio Patris, et Filii, et Spiritus sancti aperte monstrata est.

10. Praesentia omnium rerum in Deo esse, occultorum cogitor est. Licet nemo Christianus ignoret, tamen ex Danielis libro monstrandum est. *Deus, inquit, qui occultorum cogitor est, quis prospicit omnia ante quam nascentur* (Dan. xiii, 62). Hanc eandem praesentia in Christo est, dicens evangelista: *Ab initio, inquit, sciebat Jesus, qui esset cum traditurus, vel qui esset non credentes* (Joan. vi, 65). Quod sit autem occultorum cogitor, ex hoc manifestatum est, cum obscura consilia Judaeorum manifestans dicebat: *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris* (Matth. ix, 4)?

11. Similiter praescire omnia Spiritum, Deus sanxit, testatur dicens ad apostolos: *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnia, et ventura annuntiabit vobis* (Joan. xvi, 13). Qui ventura annuntiare prohibetur, praevidere omnia non dubitabitur, quia ipse servatur abitudines Dei, et novit omnia quae sunt Dei. Nec non et sacramenta revalat Dei, testatur Daniel dicens: *Ipsa est Deus, deorum, et re: ragum, qui sacramenta revalat* (Dan. ii, 47). Revelantur omnia per Christum, sicut ipse ait: *Nemo novit Patrem*

\* Ita cod. Et notemus neutralem verbi significationem.

b Agnoscit quidem Nicetas sensum grammaticum vocabuli spiritus, sed sacrum illi antefert.

c Cod., ornatum.

d Credulitatem pro fide firma dicit Nicetas etiam in Symboli Explanatione; qua super dictione legis disserentem Braidam p. 264 sqq. Salvianus de Gub.

lib. iii, 2. *Quid est credulitas aut fides? Opinor hominem fideliter Christo credere, etc.* Item Paulinus in carmine apud me Auctor. class. tom. V, p. 378.

\* Ita cod. pro spectat, quod non caret aliis exemplis.

f Cod., erat.

g Cod., vivificavit.

h Cod., scriptatur.

nisi Filius et cui voluerit Filius revelare (Luc. x, 22). **A** Omnis vero in Spiritu revelatio est; testatur Paulus: Nobis, inquit, revelavit Deus per Spiritum sanctum suum (Cor. ii, 10). Ecce est revelatio unius Trinitatis Deus.

12. Quod ubique sit præsens, et impleat omnia, dicente Esaia: Ego, inquit, Deus approximans. Et Deus de longinquo (Isa. xxx, 27). Si absconditus fuerit homo in absconditis, numquid non videbo eum? nonne caelum et terram ego impleo (Jerem. xxiii, 24)? Quid autem de sua præsencia, qui ubique? Et Salvator Christus in Evangelio dicit: Ubicumque fuerint duo vel tres <sup>a</sup> in nomine meo, ibi et ego sum in medio ipsorum (Matth. xviii, 20). De plenitudine autem ejus apostolus refert: Qui descendit, ipse est et qui ascendit **B** super omnes caelos ut adimpleret omnia (Eph. iv, 10). De Spiritu æque sancto quod <sup>b</sup> adsit ubique, dicit propheta ex persona Domini: Ego in vobis, et Spiritus meus stat in medio vestrum (Agg. ii, 6). Et Salomon ait: Spiritus Domini replevit orbem terrarum (Sap. i, 7). Habitat Deus in sanctis suis, secundum promissionem quam dixerat, Habitabo in illis et inambulabo (II Cor. vi, 16). Quid vero Dominus in Evangelio dicit? Manete in me et ego vobis (Joan. xv, 4). Probat autem hoc Paulus: Nescitis quia Jesus Christus in vobis est (II Cor. xiii, 5)? Hoc autem totum in Spiritu habitatione adimpletur, sicut memorat Joannes: Ex hoc, inquit, scimus quia in nobis est, de Spiritu suo, quem dedit nobis (I Joan. iii, 24). Similiter et idem Paulus: Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus **C** Dei habitat in vobis (II Cor. iii, 16)? Et mox dicit: Glorificate et portate Deum in corpore vestro (I Cor. vi, 20).

13. Nam quod arguat Pater, arguat et Filius, arguat etiam et Spiritus sanctus, ita probandum est. In Psalmo xlix legitur: Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas (Ps. xlix, 16)? Et infra: Arguam te et statuam <sup>c</sup> illam contra faciem tuam (Ibid., 21). David æque orans dicit ad Deum: Domine, ne in ira tua arguas me (Ps. vi, 2). Et quia ipse venturus est arguere omnem carnem (Jud. 15). Quid vero de Spiritu sancto salvator in Evangelio? Cum venerit, inquit, Paraclitus ille, arguet mundum de peccato et de justitia et de judicio (Joan. xvi, 8). Hoc providens David clamabat ad Deum: Quo ibo a Spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam (Ps. cxixviii, 7)? **D** Quod sit autem unum judicium <sup>d</sup> a Deo per Christum futurum, beatus Paulus ostendit: cum judicabit, inquit, Deus occulta hominum per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. ii, 16). Et quia Spiritus sanctus judicaturus est Antichristum, dicente Paulo, cum de persona ejus loqueretur: Quem interficiet, ait, Dominus Jesus Spiritu oris sui (II Thess. ii, 8). Si Antichristus Spiritu oris Domini interficitur, ergo et omnis creatura Spiritu judicabitur, dicente Salo-

mone: Contra illos statuet Spiritus virtutis, et tamquam turbo venti dividet eos (Sap. v, 24).

14. Nam et quod bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus, sic probatur. De Patre quidem dixit Unigenitus in Evangelio: Nemo bonus nisi unus Deus (Matth. xix, 17). De se autem: Ego sum pastor bonus (Joan. x, 11). De Spiritu æque David psallens dicit: Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam (Ps. cxliii). Et sicut dicitur de Filio, Rectum est verbum Domini (Ps. xxxiii, 4), sic et de Spiritu dicitur Spiritum rectum innova in visceribus meis (Ps. l, 10).

15. Quis autem illam dignitatem Spiritus sancti possit tacere? Antiqui enim prophetae clamabant: Hæc dicit Dominus. Hanc vocem Christus adveniens in suam revocavit personam dicens: Et ego dico vobis. Novi autem prophetae quid clamant? sicut Agabus prophetans in Actibus apostolorum ait: Hæc dicit Spiritus sanctus (Act. xxi, 11). Et iterum se a Deo Patre et a Christo vocatum et missum Paulus apostolus (Gal. i, 1), non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem. In Actibus vero apostolorum legitur quod a Spiritu sancto segregatus et missus. Sic enim scriptum est: Et dicit Spiritus sanctus, segregate mihi Barnabam et Paulum in opus quo vocavi eos (Act. xiii, 2). Et paulo post: Ipsi autem missi a Spiritu sancto descenderunt Seleuciam (Ibid., 4).

16. Nequis autem Spiritum sanctum quia Paraclitus dicitur <sup>e</sup> contemptibile quid aestimet; Paraclitus enim advocatus sive consolator est secundum Latinam linguam; quæ appellatio etiam Filio Dei communis est, sicut docet Joannes: Hæc, inquit, scribo vobis ne peccetis. Quod si quis peccaverit, Paraclitum habemus advocatum Patrem Christum justum (I Joan. ii, 1). Nam et ipse Dominus cum dicit ad apostolos alterum advocatum mittet vobis Pater, sine dubio eum alium Paraclitum nominat, sic quoque Paraclitum manifestat. Sed nec a Patre hoc nomen Paracliti alienum est: beneficentiæ enim nomen est, non naturæ. Paulus denique ad Corinthios scribit: Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos (II Cor. i, 3); quod Græce dicitur, <sup>f</sup>  $\tau\alpha\iota\ \theta\epsilon\acute{o}\varsigma\ \pi\acute{\alpha}\sigma\eta\varsigma\ \pi\alpha\rho\alpha\kappa\lambda\eta\sigma\iota\omega\varsigma$ . Et cum consolator dicitur Pater, consolator et Filius, consolator et Spiritus **D** sanctus, una tamen nobis consolatio Trinitatis præstatur. Sed abluti, inquit, estis et sanctificati et justificati estis in nomine Domini Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri (II Cor. vi, 11).

17. Sed forsitan hæc mitia et bona non excitant animum ad intelligendam potentiam Spiritus sancti; pauca de terribilibus proferamus. Vendiderat possessionem Ananias, sicut scriptum est in Actibus apostolorum, suppressamque partem pecuniæ discipulis sibi reservaverat; reliquam pro tota ante pedes de-

<sup>a</sup> Deest apud Nicetam vox congregati.

<sup>b</sup> Cod., assit, quod ferri potest.

<sup>c</sup> Ita cod.

<sup>d</sup> Cod., *ad sum* pro a Deo.

<sup>e</sup> Cod., *contemptibilia*.

<sup>f</sup> Verba Græca deerant in codice, relicto spatio vacuo; quæ ego supplevi pro spatii modulo.

posuit apostolorum. Offendit Spiritum sanctum, quem putaverat se latere. Sed quid ad eum continuo beatissimus Petrus? *Anania, quare Satanas implevit cor tuum, mentirite Spiritui sancto (Act. v. 3)?* Et statim ait: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Atque ita percussus virtute ejus, cui mentiri voluerat, expiravit. Quid hic <sup>a</sup> vult beatus Petrus intelligi Spiritum sanctum? Et utique clarum est cum dicit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Manifestum est ergo quoniam qui mentitur Spiritui sancto, Deo mentitur; ei qui credit in Spiritum sanctum, credit in Deum. Sic etiam uxor Ananiæ, quæ in mendacio fuerat conscia est in morte facta est socia. Tale aliquid, immo fortius in Evangelio ostendit Dominus dicens: *Omne peccatum et blasphemias remittentur hominibus; qui autem dixerit blasphemiam in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro (Matth. xii, 32; Marc. iii, 28, 29; Luc. xii, 10).* Terribilis sententia! <sup>b</sup> irremissibile dicit esse peccatum ei qui in Spiritum sanctum blasphemaverit. Comparanda huic sententiæ illud quod spiritum est in Regnorum libro: *Si peccando peccaverit vir in virum, orabunt pro eo; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo (I Reg. ii, 25)?* Ergo quia peccare in Spiritum sanctum et peccare in Deum, idem <sup>c</sup> inexpiabile crimen est; jam advertere poterunt quanta sit Spiritus sancti majestas; in quem si quis rebellis extiterit, in perpetuas poenas tradetur.

18. Possem plura de divinis Scripturis proferre testimonia quæ, secundum Baptismi sacramentum, Trinitatem unius operationis ac potentiae manifestarent. Sed quia et in his plenus est sapientibus intellectus, multa prætereo. Faciam itaque recapitulationem dicturus: si de Patre procedit Spiritus sanctus; si liberat; si sanctificat; si Dominus est, est, ut dixit Apostolus; si erat cum Patre et filio; si vivificat; si præscientiam habet, sicut habet Pater et Filius; si revelat; si ubique est; si adimplet orbem terrarum; si habitat in <sup>d</sup> electis; si arguet mundum; si judicat; si bonus est; si rectus est; si de eo clamatur, hæc dicit Spiritus sanctus; si prophetas constituit; si apostolos mittit; si consolator est; si abluit et justificat; si <sup>e</sup> tentatores suos interficit; si is qui <sup>f</sup> in eum blasphemaverit, non habet remissionem neque in hoc sæculo neque in futuro, quod utique Deo

<sup>a</sup> Ita cod., *beatus*, cum paulo ante sit *beatissimus*.

<sup>b</sup> Sic absolute censet, seu potius scribit Nicetas etiam in Explanacione Symboli; deque eo loco disputat Braida p. 289 sqq.

<sup>c</sup> Atqui peccata adversus Deum expiabilia apud Deum sunt, quamquam hic videtur contrarium prope dici. Ergo eadem fere responsio valet ad peccatum contra Spiritum sanctum; nempe quod Nicetas paulo severius dixerit quam se intelligi maluerit.

<sup>d</sup> Cod. mendose, *excelsis*; sed confer p. 325.

<sup>e</sup> Cod., *temptatores*.

<sup>f</sup> Cod., *cum pro in eum*.

<sup>g</sup> Cod. Vat. mendose, *in quem enim jubeo ei etiam dubie supplicabo*. Et quidem *devote pro dubie* lego in alio codice Vaticano.

<sup>h</sup> *Cultura* hoc loco sine dubio cultum religiosum significat. Eodem vocabulo utitur Nicetas in Sym-

bolii Explanacione, prorsus ut ego censeo in eodem sensu; quia ibi agitur de abrenuntiando cultui diaboli. Quare assentiri non possum cl. Zabæo (ed. Nic. Expl. Symb.) qui existimat verbo *cultura* significari ibi a Niceta *vestium elegantiam*. Etiam S. Ildephonsus Toletanus, de Script. Eccl. 3 dicit *culturam idolorum*. Immo vero Lactantius Inst. v, 7: *Dei unici pia et religiosa cultura*. Sic Tertullianus Apol. cap. 21: *Negat quod colit, et culturam in alterum transfert*.  
<sup>i</sup> Notabilis varietas, *evangelizaverunt Spiritum sanctum missum*, pro *Spiritu sancto misso* ut est in vulg. ed. itemque in græco textu, ἐὶ πνεύματι ἁγίῳ ἀποσταλέντι. Nicetas ergo, si sana lectio codicis est, dicit prædicatum ipsum Spiritum sanctum ab apostolis.  
<sup>j</sup> Cod. *Contempners*.  
<sup>k</sup> Ita cod. Et sic Eugenius quoque carthaginiensis lib. fid. legisse se demonstrat.

19. Adorabo ergo Patrem, adorabo Filium, adorabo Spiritum sanctum, una eademque veneratione. Quod si quis durum hoc putat, audiant quomodo David ad <sup>h</sup> culturam Dei fideles hortetur: *Adorate, inquit, scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est (Ps. xcvi, 5).* Si scabellum pedum Domini religionis est adorari; quanto magis religiosum erit, si ejus Spiritus adoretur? ille utique Spiritus quem beatus Petrus in tanta sublimitate prædicavit dicens: *Evangelizaverunt vobis Spiritum sanctum missum de celo, in quem concuspiscunt angeli prospicere (I Pet. i, 12).* Si angeli eum cupiunt aspicere, quanto magis nos homines mortales <sup>j</sup> contemnere non debemus? ne forte et de nobis dicatur sicut dictum est ad Judæos: *Vos semper <sup>k</sup> Spiritu sancto restitistis, sicut et patres vestri (Act. vii, 51).*

20. Quod in hæc tanta ac talia non inclinant animum ad venerandum Spiritum sanctum, accipe adhuc aliquid fortius. Sic enim Paulus instruit prophetas Ecclesiæ, in quibus utique et per quos ipse Spiritus loquebatur: *Si, inquit, omnes prophetent, intret aliquis infidelis aut idiota, convincitur ab omnibus, examinatur ab omnibus, occulta etiam cordis ejus manifesta fiunt. Et tunc cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quia vere Deus est in nobis (I Cor. xiv, 24).* Utique Spiritum sanctum intelligi voluit, qui in prophetis

bolii Explanacione, prorsus ut ego censeo in eodem sensu; quia ibi agitur de abrenuntiando cultui diaboli. Quare assentiri non possum cl. Zabæo (ed. Nic. Expl. Symb.) qui existimat verbo *cultura* significari ibi a Niceta *vestium elegantiam*. Etiam S. Ildephonsus Toletanus, de Script. Eccl. 3 dicit *culturam idolorum*. Immo vero Lactantius Inst. v, 7: *Dei unici pia et religiosa cultura*. Sic Tertullianus Apol. cap. 21: *Negat quod colit, et culturam in alterum transfert*.

<sup>i</sup> Notabilis varietas, *evangelizaverunt Spiritum sanctum missum*, pro *Spiritu sancto misso* ut est in vulg. ed. itemque in græco textu, ἐὶ πνεύματι ἁγίῳ ἀποσταλέντι. Nicetas ergo, si sana lectio codicis est, dicit prædicatum ipsum Spiritum sanctum ab apostolis.

<sup>j</sup> Cod. *Contempners*.

<sup>k</sup> Ita cod. Et sic Eugenius quoque carthaginiensis lib. fid. legisse se demonstrat.

loquebatur. Sicut ergo infideles cadunt in faciem et adorant Spiritum sanctum, adorant perterriti, et confitentur in viti ex operum magnitudine, id est abundantia gratiae spiritualis; quanto magis fidelibus expedit voluntarie et ex affectu adorare Spiritum sanctum!

21. Adoratur autem Spiritus non quasi separatim more gentilitiam; sicut nec Filius separatim adoratur, quia in dextera Patris est; sed cum adoramus Patrem, credimus nos fideliter et Filium et Spiritum sanctum pariter adorare: quia et cum Filium invocamus, Patrem nos credimus invocare: et cum Patrem rogamus, a Filio nos credimus exaudiri, sicut ipse Dominus pollicetur; *Quidquid petieritis a Patre in nomine meo, ego faciam; ut honorificetur Pater in Filio*: Sic et cum Spiritus adoratur, ille utique adoratur cujus est Spiritus.

22. Illum autem nullus ignorat; quod divinae majestati nec addi quidquam nec mitui, humanis supplicationibus potest: sed unusquisque secundum propositum voluntatis suae aut gloriam sibi acquirit fideliter venerandis, aut confusionem pertinaciter resistendo. Certum est enim quia et contentio et superbia damnationem generant; honorificentia fructus devotionis expectat: Quare autem fideles non honorificent integre Trinitatem, ad quam pertinere confidunt, cujus nomine se tenent, cujus vocabulo se nominari gloriantur? Nam sicut, a nomine Dei Patris homines Dei appellanter; ut Halias homo Dei

<sup>a</sup> Cod., ad nomen.

<sup>b</sup> Cod., integre. Malim, integra.

Adiectus est; et Moyses homo Dei; et Timotheus homo Dei a Paulo appellatus est; sic a Christo Christiani nuncupantur; sicut etiam ab Spiritu spiritualis appellantur. Si igitur voceris homo Dei, et non fueris Christianus, nihil es. Expressi Christianus dicaris, et non fueris spiritusalis, ne tibi satis de salute confidas. Sit ergo nobis secundum baptismum Salvatoris confessio, fides in integræ Trinitatis, una devotæ pietatis; nec more gentilitium; potestatis diversitates opinemur, aut creaturam in Trinitate suspicemus. Sed nec Jedaorum scandalo succumbamus; qui Filium Dei negant, qui Spiritum non adorant; sed potius perfectam Trinitatem adorantes et magnificantes, sicut in mysteriis ore nostro dicimus, *Sicutus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, ita non sentiamus minus. Et illud unus sanctus, unus Spiritus; unus Deus, Jesus Christus in gloria Dei Patris; una omnipotentia, quia una et religio Trinitatis. Et deinceps pacem et dilectionem sectantes bonis semper operibus abundemus; et audiamus ab Apostolo, sicut audierunt Corinthii in prima Epistola: *Gratiam Domini nostri Jesu Christi, et dilectio, et communicatio sancti Spiritus erit cum omnibus vobis. Amen.*

Explicit sancti Nicetae episcopi de Spiritu sancto Potentia.

Incipit tractatus ejusdem de diversis appellationibus Domino nostro Jesu Christo convenientibus.

<sup>c</sup> Immo sequentia verba degnatur in secunda Epistolae clausula.

## SANCTI NICETAE

EPISCOPI AQUILENSIS

### DE DIVERSIS APPELLATIONIBUS

D. N. JESU CHRISTO CONVENIENTIBUS.

1. Multa nomina multaque appellationes in Scripturis sanctis inveniuntur, quae Domino Jesu et Salvatore nostro convenient. Dicitur verbum, dicitur sapientia, lux, virtus, dextera, brachium, angelus, appellatur homo; dicitur agnus, ovis, sacerdos, via, veritas, vita; dicitur vitis, justitia, redemptio; panis, lapis, medicus, fons aquae vitae, pax; iudex, janua appellatur. Haec omnia dicitur; et alia multa vocabula in Scripturis sanctis de Christo inveniunt; cum unus atque idem sit Dei Filius, Deus noster, ut virtutis ejus, ac dispensationis ratio cognoscatur. Audiamus appellationes; quae nunc appellationum significationes. Verbum dicitur, vel quod impas-

<sup>a</sup> In eodem argumento versatur Damasus caes. 11. ed. Sarazan. (Thomo nostro XIII, col. 378, S. Dam. caes. 6), qui tamen verba in perpetuo Vat. cod. 353 tribuuntur Silvio cuiusdam. Et quidem cod. vat. cae pro vita; columba pro columna; panis pro panis

sibiliter genitus sit a Deo Patre, vel quod sine diminutione paternae substantiae ejus existerit generatio. Nam nec homo diminutionem aliquam pati videtur cum verbum emittit. Vel certe verbum dicitur, quod per ipsum sit Deus Pater semper et angelis locutus et hominibus. Sapientia dicitur, quia per ipsum sunt in principio sapienter cuncta disposita. Lux dicitur, quia et primas mundi tenebras ipse illuminavit, et noctes mentium humanarum suo adventu fugavit. Virtus dicitur, quia nulla eum potest superare creatura. Dextera et brachium dicitur, quia per ipsum universa creata sunt, et ab ipso omnia continentur. Angelus magni consilii appellatur, quia ipse est au-

<sup>b</sup> Legatur item postea Orientius in collect. Pisar. tom. VI, p. 89; et Phœbadius contra Arianos cap. 6, quem postremum lectum a Niceta vix dubito. <sup>c</sup> Cod. in pro da. Alius codex hic verba aliquot desiderat.